

serim apocrypha & dubia tollerentur; atque certa & indubitata substituerentur.

XXV. Sed cum pleræque Ecclesiæ Belgicæ, præsertim sæculares receperint Breviarium & ritum Romanum, attendenda erit circa Librorum Divinorum correctionem Bulla Pii V. quæ Breviario Romano præfieri solet; atque stylus Curie Romanæ, qui omnia pene ad Ritus spectantia Congregationi quæ *Rituum* dicitur committitur, de hac Congregatione agatur, latius ostendetur.

TITULUS XVII.

De visitatione Episcoporum.

CAPUT I.

De necessitate & scopo Visitationis.

1. Cura animarum necessario requirit Episcoporum Visitationes.
2. Canones obligationem visitandi urserunt. (Init.)
3. Synodus Tridentina quotannis Visitationem instituit.
4. Episcopus non adstringitur ad unicam Visitationem annuam.
5. Synodus conscientia Episcoporum permittit, num plures quam annua Visitationes sint necessariae.
6. Episcopus cessante legitimo impedimento per se visitare tenetur.
7. Quid Episcopus agere conveniat, si Diocesim ob ejus latitudinem convenienter per se visitare nequeat.
8. Scopus Visitationis a Synodo Tridentina expressus.
9. Visitatio præcipue versari debet circa interiorem statum Diocesis.
10. Quæ præcipue inquirenda ex mente Synodorum?
11. Scopus Visitationum compendiose à S. Carolo expositus.
12. Vetus formula Visitationis multa hæc quoque temporibus utilia continet.
13. Episcopus ut facilius ac celerius cum fructu Visitationem absolvat, debet Ministros inferiores præmittere.
14. Hoc etiam probavit S. Carolus?
15. Litteras Pastorales materiam & scopum Visitationis continentes, præmittenda: & quid hic fecerit S. Carolus.
16. Parochi litteras populo prælegere, eumque ad Visitationem obedienter recipiendam inducere tenentur.

Animarum curatio rite peragi nequit, si morbi nesciantur. Hi vero sciri nequeunt, nisi medici agros visitent, in morbos inquirent & studiosè examinent. Quapropter nihil adeo à Patribus & Sacris Canonibus Episcopis inculcatum fuit, quam continua Diocesum perlustratio & visitatio: præcipuaque Sanctorum Episcoporum occupatio fuit Diocesum continua circuitio & perlustratio.

II. Cumque labentibus sæculis hæc Episcoporum sollicitudo interdum flaccideret; atque insensim dormientibus Pastoribus zizania male doctrinæ, aut morum abusus seminarentur & crescerent; non defuere Concilia, & Pontifices, qui Episcoporum hac in parte obligationem urgerent, & ob oculos ponerent.

„Multorum casuum (ait Synodus Tarraconensis III. can. 8.) experientia magistrante, reperimus nonnullas Diocesanas Ecclesias esse destitutas; ob quam rem hac constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diocesano visitentur; & si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparatur.

Synodus Lugionensis in Gallæcia & Portugalia Dioceses multiplicari voluit, „quia in tota Gallæcia regione sparsa latius dioceses ab Episcopis tenentur: ita ut aliquantæ

XXVI. Denique Synodus Tridentina hæc circa preces publicas Episcopalem auctoritatem expendens, ipsis Episcopis mandavit, ea omnia quæ à Sacrificii Missæ dignitate aliena sunt, quæque vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitione induxit, à medio tollere sedulo curent, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque; uti fusiis dicitur, & abusus à medio tollendi proponuntur infra *parte 2. titulo De Celebratione Missarum.*

„Ecclesiæ per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari.

III. His aliisque infinitis propemodum Canonibus, qui visitationem, tamquam præcipuam ac maximè necessariam Episcoporum functionem urserunt, insistent Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 3. De Reform. decrevit, „ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi propriam Diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.

IV. Porro cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, ut loquitur Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 1. De Reform. nullatenus ex mente Patrum Concilii est, quod Episcopi unicam Diocesam Visitatione annua aut bienniali obligationi suæ semper satisficiant: quandoquidem fieri possit, frequentiores Visitationes requiri, ut oves suas cognoscere, & statum suæ Diocesis perspectum habere queant.

Et ut rectè advertit Cardinalis De Luca Discursus 5. ad Concilium Tridentinum: „terminus unus anni, vel saltem biennii (de quo in Decreto Concilii Tridentini) quamvis ex præcepto statutus videatur, ne id negligi valeat; non tamen adeo taxativus est, ut intra breviorum terminum, quando Episcopus seu Ordinarius opportunum vel salubre credat, visitare non possit; eum etiam bis in eodem anno, juxta casuum contingentiam, ac rerum opportunitatem, id facere valeat; dummodò tamen ad bonum finem, bonoque zelo id agatur, non autem ut id serviat ad solum prætextum exigendi à Capitulis & Cleris aliisque subditis procuraciones, ac munera, victualia, sub quorum prætextu magna fieri solent extorsiones.

V. Itaque, Synodus quidem voluit, ut semel saltem quotannis Diocesim suam visitarent; permittens de cætero Episcoporum conscientia, num pro Diocesis & ovium sibi commissarum notitia frequentiores requirantur; juxta illud Leonis IV. ad Episcopos Britannia apud Gratianum 10. q. 1. can. 4. „Regenda est unaquæque Parochia sub tuitione, & provisione Episcopi per Sacerdotes vel cæteros Clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui jure pertinet, re videtur, & circumire, ut sibi necessarium visum fuerit, Ecclesiastica utilitate cogente.

VI. Cum enim Episcopus per se curam suæ Diocesis habere & gerere debeat, merito quoque injungitur, quod eam per se lustrare visitareque teneatur; & si vel ob ejus latitudinem aut legitima impedimenta eam toties per se circumire ac visitare nequeat, ut perfectam illius noticiam accipiat, satagat, ut per inferiores v.g. Archidiaconos, Decanos seu Archipresbyteros, aut Visitatores specialiter ab ipso designandos visitatio ita instituitur & agatur, ut per ipsos plenam totius Diocesis, & ovium sibi commissarum noticiam habere queat.

VII. Ita

VII. Ita S. Carolus, quantumvis in visitatione suæ Diocesis indefessus & assiduus, quemadmodum ejus acta ac vita testantur, cum nimiam suæ Diocesis videret extensionem, ac infinita propemodum reformanda comperisset, ea ab eo inita fuit deliberatio, ut quo diligentius & visitatio, & per executionis usum perpetuò salutaria Decreta inducantur; Ecclesiastici aliquot homines, spectata morum probitate, prudentia, doctrina, disciplinæque Ecclesiasticæ usu periti deligerentur, quibus tum visitandi, tum omnem executionem procurandi, promovendique munus committeretur.

Hæc in præfatione Instructionum pro Visitatoribus, quæ merito ab Episcopis aliisque, quibus visitandi obligatio incumbit, legentur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part. 4. pag. 540. & seqq. Edr. 1683.*

VIII. Synodus Tridentina postquam ostendit, quando Episcopi, Archidiaconi, aliique quibus jus visitandi competere consuevit, visitationem instituere debeant, subiungit: „Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsi hæresibus inducere, bonos mores tuere, pravos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus & occasio feret, ex Visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere.

IX. Scopum hunc ut assequantur Visitatores, non sufficit informari de iis, quæ externum Ecclesiarum statum concernunt; sed præcipue de interiori statu dignoscendo allaborandum est.

Unde in formula visitationis, quam anno 1579. in generali Conventu proposuit Clerus Gallicanus, non tantum quid de exteriori statu Ecclesiarum (circa quem plerique hodie Visitatores occupantur) sed præcipue, quid de interiori inquirendum sit proponitur; quemadmodum & in ea, quam S. Carolus in sua Synodo Provinciali quarta exhibuit.

X. Unde Synodus P. I. Cameracensis Tit. De visitatione cap. 2. vult, ut Episcopi in visitatione „primum cognoscant de fide, vitæ sanctimonia ac moribus: live visitatio fiat in Monasteriis, live Capitulis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, vel etiam aliis Ecclesiis. Quoniam id præcipue spectandum est, ne doctrinæ sinceritas ullo errore corrumpatur; nec præterea vitis vita maculetur. Cognoscant deinde de regula ac statutis; an serventur, an negligantur; & singula ritè ac ordinatè constituentur.

Deinde Cap. 3. „Externa etiam visitando non negligant: ut sunt habitus, decens tonsura, & hujusmodi reliqua.

Post hæc subiungit cap. 4. „Sed illud præcipue spectent, quam rectè & diligenter Pastores ministeria sua obeant: live docendo, live Sacramenta ministrando, & Venerabile Sacramentum & unctiones & Baptisteria honestè conservando. Cognoscant præterea de bonis Ecclesiarum, ac suppellectile, de bibliothecis & aliis hujusmodi, ne quid per negligentiam pereat. Provideant etiam ut & fundationes obseventur, & elemosynæ liberalitate pauperum hominum institutæ pauperibus nulla fraude distriuantur.

XI. Hæc aliaque similia passim in Synodis Visitatoribus, atque imprimis Episcopis inculcantur, quæ manifestè ostendunt Ecclesiæ mentem esse, ut Episcopi „diligentiam omnem visitando adhibeant (verba sunt Concilii Mediolanensis IV. parte 3. tit. De visitatione non modò in Ecclesiarum cultu & ornamento tuendo, augendo, sed maxime in omni & Cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in utriusque item moribus cognoscendis, in deque depravatis corrigendis.

XII. Vetus Formula Inquisitionis, juxta quam Episcopi aliique inferiores Prælati olim Visitationem suam dirigere debebant, idem evincit. Nam Formula hæc prout eam circa Van Espen Jur. Eccl. P. I.

sæculum X. evulgavit Regino Abbas Prumiensis in suo Opusculo de Ecclesiasticis disciplinis, in duos libros erat distincta; atque in primo continebatur, quid ab Episcopis circa Ecclesiasticos Viros esset inquirendum; secundo autem, quid circa Laicos.

Plura de hac Inquisitionis Formula & Opusculo Reginonis observavi Tractatu Historico-Canonico in Canones *parte 7. cap. 1.* Neque inutiliter Formula inquisitionis una cum Opusculo Reginonis legetur ab iis, quibus visitandi munus incumbit: plurima quippe & hodie utilia, ac modernis temporibus accommodata diligens lector & peritus scrutator reperiet; eamque consuliisse S. Carolum, aut eos, qui instructionibus Visitatorum, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *parte IV.* prostant, formandis fuere occupati, innuit harum cum prædicta Inquisitione in multis consonantia.

Post expositum scopum omnium Visitationum, Synodus Trid. Visitatores instruere pergit; quæque ad scopum illum allequendum conducant proponit. „Quæ ut facilius feliciusque, aut succedant; monentur prædicti omnes & singuli, ad quos Visitatio spectat, ut paternâ charitate Christiana, noque zelo omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant celerrimè, debita tamen cum diligentia, Visitationem ipsam absolvere.

XIII. Ut verò Episcopus celerius, debitam tamen cum diligentia, visitationem, absolvere queat, jam olim decretum fuisse legitur: „Cum Episcopus suam Diocesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno, aut duobus diebus per Parochias quas visitaturus est; & plebe convocata, adnuntiare debet proprii Pastoris adventum, & ut omnes ad ejus Synodum die denominatè immineret, prætermisere occurrant, omnimodis ex auctoritate sanctorum Canonum præcipere, & minaciter denuntiare, quòd si quis absque gravi necessitate defuerit, procul debito à communione Christiana sit repellendus. Deinde ascitis secum Presbyteris, qui illo in loco servitium debent exhibere Episcopo, quidquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in faciliore negotio fatigetur, aut ibi immorari amplius necesse sit quam expensa sufficiat. Apud Reginonem *lib. 2. cap. 1.*

XIV. Hoc Rothomagensis Concilii Decretum, tamquam visitationi celerius ac fructuosius perficiendæ summopere opportunum renovavit, ac observari præcepit S. Carolus in suo Concilio IV. Mediolanensi; permittens tamen Episcoporum arbitrio, num Archidiaconum Archipresbyterum, aut alium Ecclesiasticum hominem præmittere velit.

XV. Insuper Zelosissimus hic Pastor, ut majori cum fructu ac minori morâ Visitationem absolverent Episcopi, litteras Pastorales, quæ Visitationis materiam, scopum, atque alia eo spectantia continebant, Visitationi præmittendas censuit. „Porro Parochus aliive Ecclesiæ Rector vel Præfatus, in qua Animarum curam gerit, cum visitandus erit, „Pastorales Episcopi Litteras, Visitationis nomine editas, duobus ante illius adventum proximis festis diebus, inter Missarum solemnias, cum populi frequentia adest, de scripro recitet. Idem Parochus aut Ecclesiæ Rector præstet de Litteris, quas de Confirmationis Sacramento ritè religioseque suscipiendo, Episcopus instructionum monitione, numve nomine ediderit.

Deinde monet: „Ut Parochus Litterarum, edictorumve Episcoporum evulgationem recitationemve & Sermonem, & Concione, & monitionibus, & omni alio tum publico tum privato cohortationum officio prosequatur, prout expedire animadverterit: quo fidelium animos diligentius præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis Visitationis officium.

CAPUT II.

Quæ procuraciones ab Episcopo Visitante exigantur, vel recipi possint, & qui ad eas teneantur.

- 1 Proponitur Decretum Synodi Tridentina circa procuraciones.
- 2 Ratione Visitationis nihil etiam ultro oblatum ab Episcopis exigere permittitur.
- 3 Non prohibet peti quæ alio titulo debentur.
- 4 Ratio cur Synodus nihil voluerit ab Episcopis exigere ratione Visitationis.
- 5 Permissit Synodus accipi victualia.
- 6 Quid veniat nomine victualium?
- 7 Synodus Tridentina ita victualia restrinxit, ut omnis lux excludatur.
- 8 Ex mente Synodi, Episcopi debent esse contenti iis quæ ipsis apponuntur: quod suo exemplo ostendit S. Carolus.
- 9 Victualia tantum subministranda pro temporis necessitate.
- 10 Episcopus eodem die Visitans plures Parochias aut Ecclesias debet esse contentus unica procuracione.
- 11 Episcopo visitante Ecclesias Civitatis sua Cathedralis non debetur procuratio.
- 12 Synodus Tridentina intendit sublevare Visitandos ab omni gravamine.
- 13 Permissit arbitrio Visitandorum an consuetam procuracionem in pecunia continuare velint, an convertere in simplicia victualia.
- 14 Preservat conventiones, & consuetudines de non solvendis etiam victualibus.
- 15 Observanda circa illas consuetudines.
- 16 Juxta hodiernam Belgii praxim Episcopi visitantes, à laicis procuraciones exigere nequeunt.
- 17 Idem servatur in Regno Gallie, ubi & questio de procuracionum solutione in Tribunali Regio agitari debet.
- 18 Mores hodierni non patiuntur, ut Episcopus per censuras cogat subditos ad procuraciones solvendas.
- 19 Quas pœnas Synodus Tridentina decernat in Visitantes majores procuraciones exigentes?
- 20 Decretum de moderatione procuracionum, & pœna contra excedentes decreta, etiam ad Familiares & Ministros Episcoporum extenduntur.

Visitatio à populo & Clero gratiori animo suscipiatur, vult Synodus Tridentina, ut Episcopi Visitantes caveant, ne inutilibus sumpibus cuiquam graves onerent, siue sint: nevé ipsi, aut quicumque suorum, quidquam procuracionis causâ pro Visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili.

II. His verbis voluit Synodus, ne quidquam causâ Visitationis, etiam ultro oblatum à Visitatoribus recipiatur, nequidem pro Visitatione testamentorum ad pios usus: quæ eatenus Visitationi Episcoporum de jure communi subiacent, ut pericipiat Episcopus, num juxta voluntatem Testatorum executioni mandentur.

III. Quod verò alio quam Visitationis titulo, ut v. g. ex relictis piis, ut loquitur Synodus Tridentina, Episcopo debetur sublatum non est; ideoque nec Cathedralium Episcopis debitum sublatum esse declaravit S. Congregatio apud Weymum ad 24. Constitutiones per Concilium Trid. innovatas constit. 17. n. 21.

IV. Et merito Synodus voluit, Episcopos in ipsa Visitatione ab omni vel specie avaritiæ, aut habendi cupiditate esse alienos. Si enim (teste eadem Synodo Sess. 25. cap. 1. De Reformat.) ad restituendam disciplinam præcipuum sit, quod fideles Propositos suos videant non ea quæ mundi

sunt, sed Animarum salutem ac cœlestem patriam cogitare; idipsum vel maxime in ipsa Visitatione, quæ tota ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, vitia eradicanda, virtutesque plantandas dirigenda est, Episcopi suo agendi modo obtemperare debent; ut dicere confidenter queant cum Apostolo: Non enim quero quæ vestra sunt, sed vos.

V. Exemplo tamen Christi, qui mittens Discipulos suos ad prædicandum Regnum, dixit: In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua... Et in quacumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis. Luca 10. v. 8. Hoc inquam, exemplo, Synodus Tridentina generali prohibitioni, quicquam etiam ultro oblatum ratione visitationis accipiendi, hanc subiecit exceptionem: Exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugibus, luter moderatæque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda.

Hæc victualia siue præstationes comprehenduntur sub nomine procuracionum, de quibus sæpius in Jure Canonico merito occurrit; inde dictæ, quod procurari siue subministrari debeant ab iis qui visitantur.

VI. Cum hæc procuraciones ex Decreto Concilii Tridentini ad sola victualia, hoc est, esculenta & poculenta restringantur; traditum est, ait Weymum ex Zerola, subditos, non teneri ad medicinam Visitandum, vel alia similia quæ extra communem victum sunt; propterea quod appellatione expensarum victualium veniant ea dumtaxat, quæ in victu consistunt, non etiam alia, quæ concernunt alias personarum necessitates, ne alioquin etiam tandem ad vestitum cogerebuntur; neque enim debentur victualia nisi actu visitantibus, quorum numero haberi vix possunt, qui ægrotant.

VII. Dum autem addidit Synodus victualia moderatè ac frugaliter esse ministranda, indubie omnem luxum convivorum & epularum abundantiam exclusam voluit; ut scilicet vel in ipso actu Visitationis mores suos ita componant Episcopi aliive Prælati, ut, reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo sanctæ humilitatis exempla petere possint; quemadmodum Synodus Tridentina monet Sess. 25. c. 1. De Reformat.

VIII. Imo facti ostendit Synodus per moderationem ac frugalitatem, quæ victualia subministrari vult, se desiderare, ut Episcopi aliique Visitatores observent id quod à Christo Discipulis suis inculcatum est, ut scilicet non solliciti de mensarum instructione aut victualium apparatu, contenti essent iis, quæ ipsis apponuntur.

Quod apprime intelligens S. Carolus severè suis inhibebat, ne quid esculenti ac poculenti secum ferrent, sed contenti essent iis, quæ Visitandi ad manducandum apponerent; quo fiebat, ait Godæus in ejus vita lib. 1. cap. 13. ut frequenter pro lecto nihil præter stramina aut arborum folia, & pro cibis delicatioribus, nuges, castaneas, aut caseum reperiret; volebatque ut tam ipse quam sui, tum in manducando, tum in cubando paupertati in monibus habitantium se conformarent.

IX. Ad Synodum Tridentinam revertamur: quæ non moderatè ac frugaliter dumtaxat victualia dicit esse ministranda, sed insuper addit, pro temporum tantum necessitate, & non ultra.

X. Unde si unâ die Episcopus visitet duas Parochias, debet esse contentus unâ procuracione, etiam si locus quilibet visitatus ab illo sufficeret ad procuracionem integram persolvendam; cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus quibus eis spiritualia subministrat, c. 3. De censibus in VI. Quo fit, inquit Weymum loco citato, ut si locus faciat Visitatores, vel exigendo duplices procuraciones ab uno vel duobus locis visitatis eodem die, vel etiam procrastinando suam Visitationem eo fine, ut duplicatas procuraciones lucentur, male versentur, & ad acceptorum restitutionem teneantur ipsum Deum habituri ulcorem; quia sic proprium suum compendium quæsierint, non qui Jesu Christo sunt.

XL.

XI. Eodem fundamento, dum Episcopus visitat Ecclesias civitatis Cathedralis, non potest prætereundæ procuracionem, aut victualia à Visitatis; Quia, inquit Fagnanus ad Cap. VENERABILI De censibus n. 15. cessat illa necessitas temporis, quam Concilium ad hoc præcisè requirit: cum visitatione expleta, possint domi suæ victum sumere: & hanc sententiam jam pridem probavit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres: Nam dubitanti Episcopo Tarenti, an in Visitatione posset exigere procuracionem à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, censuit Cap. 3. Sess. 24. De Reformat. dum de victualibus subministrandis disponit, non habere locum in Visitatione Cathedralis Ecclesiæ, sed Diocesis tantum, ibi, aguitatis ibi, pro temporis necessitate &c. Sed & alias censuit, nullam deberi procuracionem Episcopo Visitanti Clerum civitatis, ubi est Cathedralis. Hæc Fagnanus.

XII. Ex his facile animadverti potest, Synodum Tridentinam exemplo Pontificum, quorum Decreta referuntur in Jure Canonico, huic rei potissimum intendisse, ut subditos, quantum posset, à Visitatorum immoderatis & insuetis oneribus sublevaret.

XIII. Quapropter ut visitandi etiam procuraciones, quæ in solis moderatis ac necessariis victualibus consistunt, facilius ac levius ferre possent, voluit: ut sit in optione eorum, qui visitantur, si malintolvere id quod erat ab ipsis antea solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum; an verò prædicta victualia subministrare.

XIV. (Deinde insuper addit) salvo item jure conventionis, nun antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illarum permanceat. In iis verò locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquid aliud à Visitatoribus accipitur, sed omnia gratis fiant ibi id observetur.

XV. Illud porro circa hujusmodi consuetudinem negativam, quam Concilium præservat, non absolvendi procuracionem, advertendum monet Fagnanus loco citato n. 29. quia ad hoc, ut de tali consuetudine dicatur constare, ex ipsius Congregationis sententia, non sufficit, ut visitati nunquam Episcopum procuraverint, sed probari oportet, Episcopum petisse procuracionem, & visitatos detrectasse, illamolvere, & postea Episcopum per longum tempus acquiescisse, prout requiritur in facultativis.

XVI. Insuper notandum, Episcopos aliisve jus Visitationis habentes, nec in toto nec in parte posse à laicis visitatis procuracionem exigere, juxta notitiam harum & vicinarum Provinciarum consuetudinem, in eo fundatam, quod Canones de solis Ecclesiasticis loquantur, quando de procuracionibus agunt; uti monet Zypæus in jure novo tit. De censibus num. 9. Et laudis Guivellius Decis. 119. qui Literas Ducum nostrorum Alberti & Isabellæ ad Senatum Dolarum recitat, quibus declaratur, fas non esse Episcopo à laicis exigere procuraciones.

XVII. Idem quoad regnum Gallie testatur Carolus Fagnanus tractatu De Abusu lib. 3. cap. 4. qui & ibidem notat, quod inspectis dispositionibus Juris Canonici, quæstionem de solvendis procuracionibus agendam & decidendam esse coram Judice Ecclesiastico; sed id hodie in Gallia haud observari, futurumque ab usum, si Juxta Ecclesiasticum prætendisset adjudicare hoc jus pecuniarium procuracionis.

XVIII. Notat insuper, quod si Episcopus aut Archidiaconus præsumerent excommunicare Parochum, aut Ecclesiam interdicto subicere ob recusatam procuracionem, futurum ab usum; & Senatum Regium ita judicasse contra Episcopum Bayonensem refert ex Mornacio ad l. 3. Cod. De Apostatis, c. 2. quod Ecclesiam Harfarnam, ob solum Diocesana visitationis non refusum viaticum, interdicto subjecisset.

XIX. Ut verò Synodus Tridentina significaret, quam sibi cordi esset, ut præscriptam in procuracionibus moderationem & frugalitatem Episcopi servarent, decernit: Quod si quisquam, quod ablit, aliquid amplius in supra-

dictis omnibus casibus accipere præsumpserit; is, præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quæ incipit, Exigit; necnon & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

Constitutio Lugdunensis Concilii à Tridentina Synodo hic innovata refertur in Cap. 2. De censibus in VI. quæ statuitur: Ut universi & singuli, qui ob procuracionem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, vel alias constitutionem ipsam recipiendo munera, siue Visitationis officio non impenso procuracionem in victualibus, aut aliquid aliud procuracionis occasione violare præsumpserint, duplum ejus, quod receperint Ecclesiæ, à quâ receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictum. Inferiores verò ab officio & beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant; nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura.

XX. Hæc interdicta ipsis Visitatoribus, etiam esse interdicta ipsorum Familiaribus & Ministris, ne possint causâ Visitationis quidquam pecuniæ aut muneris, etiam ultro oblati, accipere; & quod si acceperint iisdem pœnis sint obnoxii, tam constitutio Innocentii IV. in Cap. 1. quàm Constitutio Concilii Lugdunensis in Cap. 2. De censibus in VI. ac novissimè Synodus Tridentina fat patentem insinuant.

CAPUT III.

Quæ loca ab Episcopis visitari debeant, & possint?

- 1 Episcopus fundatus est de jure in visitatione totius sue Diocesis.
- 2 Episcopus excludi nequit à visitatione Ecclesiarum Parochialium, aut Beneficiorum Curatorum.
- 3 Synodus Tridentina declaravit Beneficia Curata visitationi Episcopali esse subiecta.
- 4 Exemptio visitationem in his non impedit.
- 5 Datio in commendam etiam non impedit.
- 6 Ecclesia Curata unita aut incorporata Monasterio aut Capitulis exemptis visitationi subsumit.
- 7 Etiam ubi Prælati habent utramque jurisdictionem.
- 8 Ecclesia Parochiales unita Ordini S. Joannis Jerusalemiani subiecta visitationi.
- 9 Variis Regibus Arreftis confirmatum jus visitandi quoad Beneficia unita Monasterii exemptis.
- 10 Nulla exemptio aut consuetudo dictas Ecclesias à visitatione eximere potest.
- 11 Clerici merito visitationi Episcoporum subiecti.
- 12 Illos generaliter iterato Decreto Episcoporum visitationi subiectos declaravit Synodus Tridentina.
- 13 Capitula Cathedralia etiam exempta visitationi Episcopali subiecta.
- 14 Potest in visitatione Episcopus solus procedere.
- 15 Quid circa visitationem Monasteriorum remissivè.
- 16 Quod jus competat Episcopis hodie visitandi Hospitia & alia pia loca remissivè.

Uemadmodum Episcopo totius suæ Diocesis cura incumbit omnesque in sua Diocesi consistentes sunt ejus curæ commissi, etiam totius Diocesis visitatio Episcopo incumbit; quia sine visitatione curam ovium habere nequit. Unde communiter tradunt Canonistæ, uti notat Fagnanus ad Cap. EX PARTE De Clericis

L 4

non